

Die 14 Iunii

S. Elisæi, prophetæ

*Ant. ad introitum*

cf II Reg 2, 9 et 15b

**D**ixit Elisaëus ad Eliam: « Obsecro ut fiat in me sp̄ritus tuus ». Et requiëvit sp̄ritus Eliæ super Elisaëum.

*Collecta*

Deus, qui prophëtam Elisaëum  
in Eliæ sp̄ritum succedere voluisti,  
concede propitius, ut per dona Sp̄ritus tui  
ad sanctitatem tēdere valeamus.  
Per Dōminum.

LECTIO PRIOR ( propr. )

« Veniat ad me et sciat esse prophetam in Israel »

Lectio libri Regum

II Reg 5, 7a. 8-15a. 17b

In diëbus illis :

Cum legisset rex Israel litteras regis Syriæ, scidit vestimēta sua et ait: « Numquid Deus ego sum, ut occidere

possim et vivificāre, quia iste misit ad me, ut curem hōminem a lepra sua ? »

Quod cum audisset Elisaëus, vir Dei, scidisse videlicet regem Israel vestimēta sua, misit ad eum dicens: « Quare scidisti vestimēta tua? Vēniat ad me et sciat esse prophëtam in Israel ».

Venit ergo Náaman cum equis et curribus, et stetit ad ostium domus Elisaëi. Misitque ad eum Elisaëus nūntium dicens: « Vade et lavare sépties in Iordāne, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundāberis ».

Irátus Náaman recedēbat dicens: « Putābam quod egrederetur ad me et stans invocāret nomen Dōmini Dei sui, et tangeret manu sua locum lepræ, et curāret me. Numquid non meliōres sunt Abana et Pharphar, flūvii Damāsci, ómnibus aquis Israel, ut laver in eis et munder? »

Cum ergo vertisset se et abiret indignans, accesserunt ad eum servi sui et locuti sunt ei: « Pater, et si rem grandem dixisset tibi prophëta, certe fácere debúeras; quanto magis quia nunc dixit tibi: « Lavare et mundāberis ».

Descēdit, et lavit in Iordāne sépties iuxta sermōnem viri Dei, et restituta est caro eius sicut caro pūeri párvuli, et mundatus est.

Reversusque ad virum Dei cum univérso comitatu suo, venit et stetit coram eo, et ait: « Vere scio quod non sit álius Deus in univérsa terra, nisi tantum in Israel. Obsecro itaque ut accipias benedictionem a servo tuo ». At ille respōdit: « Vivit Dōminus, ante quem sto quia non accipiam ».

Cumque vim fáceret, pēnitus non acquiëvit. Dixitque Ná-

aman : « Non faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino ».

Verbum Domini.

vel (propr.)

« *Requievit spiritus Eliae super Eliseum* »

Lectio libri Regum

II Reg 2, 11-15 b

Cum Elias et Eliseus pergerent, et incedentes sermocinarentur, ecce currus et equi ignei divisérunt utrumque; et ascendit Elias per turbinem in caelum. Eliseus autem videbat et clamabat : « Pater mi ! Pater mi ! Currus Israel et auriga eius ! » Et non vidit eum amplius. Apprehenditque vestimenta sua, et scidit illa in duas partes. Et levavit pallium Eliae, quod ceciderat ei.

Reversusque stetit super ripam Iordanis. Et pallio Eliae quod ceciderat ei, percussit aquas, et non sunt divisae; et dixit : « Ubi est Deus Eliae etiam nunc ? » Percussitque aquas, et divisae sunt huc atque illuc, et transiit Eliseus.

Videntes autem filii prophetarum qui erant in Iericho, econtra, dixerunt : « Requievit spiritus Eliae super Eliseum ».

Verbum Domini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 103, 1 et 24, 27-28, 29bc-30 (P. cf 30)

℟. Emitte Spiritum tuum, Domine, et renova faciem terrae.

- 1 Benedic, anima mea, Domino :  
Domine, Deus meus, magnificatus es vehementer.  
Quam multiplicata sunt opera tua, Domine :  
omnia in sapientia fecisti ;  
impleta est terra creatura tua. ℟.

- 2 Omnia a te expectant,  
ut des illis escam in tempore suo.  
Dante te illis, colligent,  
aperiente te manum tuam, implebuntur bonis. ℟.

- 3 Revocabis spiritum eorum et deficient,  
et in pulverem suum revertentur.  
Emittes spiritum tuum et creabuntur,  
et renovabis faciem terrae. ℟.

ALLELUIA

II Reg 2, 22

℟. Alleluia. ℣. Sanatae sunt aquae usque in diem hanc,  
iuxta verbum Elisei. ℟. Alleluia.

EVANGELIUM (pr.)

« *Multi leprosi erant sub Eliseo propheta* »

✠ Lectio sancti Evangelii secundum Lucam 4, 24-27

Cum venisset Iesus Nazareth, dixit populo in synagoga :  
« Amen dico vobis : Nemo propheta acceptus est in patria sua. In veritate autem dico vobis : Multae viduae erant in diebus Eliae in Israel, quando clausum est caelum annis tribus et mensibus sex, cum facta est fames magna in omni terra; et ad nullam illarum missus est Elias nisi in Saréptha Sidoniae ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus ».

Verbum Domini.

*Super oblata*

Hóstias tibi, Domine, laudis offerimus, suppliciter deprecantes,

ut eásdem, pro nobis prophético interveniénte suffrágio,  
et placátus accípias et ad salútem nostram proveníre concédas.  
Per Christum.

*Ant. ad communionem*

II Reg 13, 21

Tétigit cadáver ossa Elisaí, et revíxit homo, et stetit super  
pedes suos.

*Post communionem*

Puríficet nos semper tui percéptio sacraménti,  
et intercessióne beáti Elisaíi prophétæ tui,  
mereámur gáudiis cæléstibus abundáre.  
Per Christum.

